



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

846. An permutatio hæc facta propriâ auctoritate sit simoniaca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

negante, qui possunt sine Superioris auctoritate inter se ita transigere & permutare, ut unus habeat hanc, alter aliam Ecclesiam sibi subiectam, absque eo, quod dicantur hac ratione permutare beneficia.

2. Respondeo ad secundum: Ratio, cur Canones id prohibeant, est, ne Clericis detur occasio avaritiæ, & ambitionis; ne de beneficiis tanquam de rebus suis patrimonialibus disponere possint videantur, neve designando ministros ineptos Ecclesiæ damnum inferant. Castrop. loc. cit. Azor p. 2. l. 7. c. 29. q. 2. vel etiam, ne beneficia hac ratione sine Canonica Institutione obtineantur, contra quod dicitur c. 1. de reg. juris in 6. Pirh. loc. cit.

Questio 846. An permutatio hæc facta propriã auctoritate sit simoniaca?

Respondeo: Simoniacam esse, tenent Garc. p. 11. c. 4. n. 57. citans Abb. in c. quæsitum. n. 3. Tolet. in sum. l. 5. c. 91. Nav. in Man. c. 23. vers. 3. Suar. cit. c. 32. Azor ubi antè. qui tamen ibi solum dicit, Sorum, & Majorem tenere, non nisi jure Canonico id prohibuit, alios verò arbitrari, esse simoniacam jure Divino. Item esse simoniacam, dicit Chok. de permut. p. 1. c. 2. n. 2. quamvis nu. 3. subjungat; sentiendum est cum Lessio, qui l. 2. de Just. c. 35. n. 26. dicit, esse simoniam juris humani, permutare beneficia sine auctoritate Superioris; & n. 30. rationem dat: nempe quòd Ecclesia ob sanctitatem sacri ministerii poterat ea facere impermutabilia; quemadmodum & habet idem n. 25. Ecclesia solà lege suã potuit facere, ut id, quòd naturã suã non erat invendibile ob partem temporalem, fiat inhabile ad venditionem, seu invendibile ob partem spiritualem, seu in reverentiam rei spiritualis, cui annexum, & sic introducere simoniam, quæ erit solius juris Ecclesiastici. Idem cum Lessio, esse nimirum solum simoniam contra prohibitionem Ecclesiæ, tenet Castrop. de simon. p. 15. n. 3. citans Suar. de simon. l. 4. c. 31. n. 8. Valent. d. 6. q. 26. p. 3. Redoan. Ugolin. &c. Verùm addit Less. cit. n. 3. ejusmodi tamen permutationem non esse propriè simoniacam, sed tantum generali ratione & imitatione quadam; cum propriè simonia sit, ut docet Sorus l. 9. q. 5. a. 1. & q. 7. a. 2. cum datur temporale pro spirituali, quod utique aliud, majusque genus est irreverentiæ, quam cum datur spirituale pro spirituali, uti fit in permutatione beneficiorum.

Questio 847. Quæ sit pena permutantium beneficia propriã auctoritate?

Respondeo: Esse privationem, seu amissionem beneficii. Chok. de permut. p. 1. c. 2. n. 3. Laym. in c. cum olim. de rer. permut. Less. cit. n. 30. Garc. p. 11. c. 4. n. 58. juxta cit. c. cum olim. non incurrere tamen illos hanc penam privationis ipso jure, seu facto, uti nec censuras; sed solum posse illos in penam commissi hujus criminis privari per sententiam, juxta cit. c. cum olim. ubi jubentur privari illis, tenent Chok. loc. cit. Castrop. loc. cit. n. 3. Less. cit. c. 35. n. 100. (qui etiam n. 141. hanc addit rationem: Quia hic non est propriè simonia, cum non datur temporale pro spirituali, sed generaliore modo simonia vocatur; adeoque quando jura dicunt, simoniacos esse ipso facto excommunicatos, non debet hoc extendi ad hanc simoniam; sed solum ad eam, quæ propriè ac strictè simonia

dicitur; cum pœnæ sint restringendæ. Ad hæc jura, quæ loquuntur de hac permutatione, non habeant ullam pœnam ipso facto incurrendam, sed solum ferendam, ut constat ex c. cum olim. de rer. permut. c. cum pridem de pœnis) Pirh. ad tit. de rer. permut. n. 24. Laym. loc. cit. citans Pet. Nav. de restitu. l. 2. c. 2. ad finem. qui proinde etiam omnes expressè tenent, quòd tales permutantes, etsi fecerint actum irritum, possint tamen, sicut propriã auctoritate alienarunt, & commutarunt, ita etiam suã auctoritate ad sua quicquid beneficia redire, saltem in foro conscientiæ, & quamdiu per sententiam Judicis iis non privantur, ut limitat Pirh. loc. cit. pro quo expressè quoque citat seipsum loc. cit. Laym. Th. mor. l. 1. tr. ult. c. ult. §. 5. q. 2. Contrarium tamen, nempe hodie vi Extravag. cum detestabile. de simon. tales esse privatos ipso jure, & incurrere sententiam excommunicationis, tenentibus Garc. loc. cit. n. 59. Suar. de relig. l. 4. de simon. c. 55. n. 18. quam sententiam communem fatetur Pet. Navar. etsi ipse contrarium teneat.

Questio 848. Coram quo Superiore faciendã permutatio, si ve quis hic veniat nomine Ordinarii, coram quo faciendã permutatio?

Respondeo primò in genere: Omnem & solum illum, qui potestatem habet non solum instituendi, sed & destituendi in beneficiis permutandis. Castrop. de benef. d. 6. p. 3. §. 3. n. 2. Chok. de permut. p. 1. c. 2. n. 6. Azor p. 2. l. 7. c. 29. q. 4. vide, & huc applica dicta supra, ubi, quis possit auctorizare resignationes.

Respondeo secundò in specie: Talis igitur Superior & Ordinarius, potens præbere auctoritatem permutationi, non est solus Pontifex, sed & Episcopus loci, in quo beneficia permutanda sunt. Azor loc. cit. Chok. loc. cit. n. 4. Pirh. loc. cit. n. 26. Gonz. gl. 14. n. 33. Garc. p. 11. c. 4. n. 60. citans Tusch. concl. 304. lit. P. contra Paris. l. 5. q. 6. n. 231. dubitantem, an hodie id possint Episcopi; eò quòd Pius V. in Constitut. sua 42. incipiente: Officium creditæ. suspenderit facultatem Ordinariorum recipiendi resignationes, & permutationes, quoadque data & præscripta à se fuerit forma & modus istiusmodi resignationibus, quæ forma, cum data fuerit in Constitut. illius 58. incipiente: Quanta Ecclesiæ: quoad resignationes, & non quoad permutationes, dicta suspensio potestatis recipiendi permutationes perdurare videatur; quam tamen Parisi dubitationem rectè mirantur Garc. & Gonz. dum, ut hic n. 35. ille n. 63. ipse Pius V. in citata posteriore sua Constitut. 58. (cujus tenorem ipse Parisus ponit in initio citatæ q. 6.) dictam suspensionem sustulerit, & expressè concesserit Ordinariis admittere permutationes, quæ Canonice Sanctionibus & Apostolicis Constitutionibus permittuntur, non obstante, ut rectè Chok. loc. cit. n. 5. quòd in dicta Constitut. nullam præscriperit permutationibus formam; cum id reliquerit juris communis dispositioni.

3. Secundò est etiam talis Superior auctorizare potens permutationes beneficiorum suæ Provinciæ Legatus de latere. Paris. l. 7. q. 13. n. 16. Garc. loc. cit. n. 61. Chok. loc. cit. p. 1. c. 9. n. 2. Azor cit. q. 4. §. hinc efficitur, qui tamen rectè id limitat, ut non possit auctorizare permutationes suæ Provinciæ, nisi quas possunt auctorizare Episcopi ejusdem Provinciæ. Siquidem reservatorum specia-

litæ